DISSERTATIO
INAVGVRALIS MEDICA
DE

FEBRIBVS NERVOSIS ACVTIS

QVAM
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO OBTINENDO
GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
H. L. Q. C.
DIE VI. APRILIS A. MDCCLXXXV
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
FRIDERICVS GVILIELMVS BÜTTNER
CVRONVS.

GOETTINGAE,
APVD IOANN. CHRIST. DIETERICH.

WELLCOME
LIBRARY

Á

MONSIEUR

ULRIC GEORGE

DE BEHR

SEIGNEUR HÉRÉDITAIRE DE TOUTES

LES TERRES DE SCHLECK

ET DE CABILLEN etc. etc.

MONSIEUR.

D'après les bontés que VOUS m'avez témoignées jusqu'ici, ne m'eſt-il point permis de me flatter, avec quelque raiſon, que VOUS ne dédaignerez point le foible hommage que j'oſe VOUS préſenter aujourd'hui? D'ail-

leurs à qui pourrois-je offrir ce léger fruit de mes travaux, ſi non à celui, qui a bien voulu les diriger, ſi ce n'eſt au généreux bienfaiteur qui m'a aidé, qui m'a ſoutenu dans la carrière que j'avois entrepris de parcourir?

Au reſte, MONSIEUR, *quand même je n'aurois point reçu tant de marques de* VOTRE *bienveillance; quand même je ne ſerois pas dans ce moment*

comme accablé du poids de VOS bienfaits; ne devrois-je pas ſaiſir, avec le plus vif empreſſement, l'occaſion de faire connoître d'une maniere éclatante, les qualités excellentes et les hautes vertus dont le ciel VOUS a gratifié, pour la félicité de tout ce qui VOUS environne? Ce ſont ces dons précieux qui VOUS ont concilié pour jamais l'amour et la vénération de tous ceux qui ont l'honneur de VOUS approcher

et ſurtout des heureux vaſſaux que la providence a ſi bien partagés en les faiſant naître dans VOS domaines. Que ne puis-je être l'interprête fidele de leurs ſentiments ! Que ne puis-je VOUS faire entendre les bénédictions, dont ils VOUS comblent tous les jours et les prieres ferventes, qu'ils ne ceſſent d'adreſſer à l'être ſuprême pour la proſpérité des jours de leur ſeigneur et de leur père.

Mais moi-même comment pourroi-je exprimer ce qui ſe paſſe dans mon ame? Mes expreſſions ſans doute ne rendront que foiblement les mouvements de mon coeur. En outre je craindrois trop de bleſſer VOTRE modeſtie, cette vertu aimable que VOUS chériſſez tant et qui en effet donne le plus beau luſtre à VOS belles actions. Il ne me reſte donc qu'à VOUS aſſurer que je ſuis et ſerai toute ma vie avec les ſenti-

mens de la plus vive reconnoiſſance et avec le plus profond reſpect,

MONSIEUR,

Votre très-humble et très obeiſſant

Serviteur

Frèderic Guillaume Büttner.

Conſpectus Diſſertationis.

Praemittenda. (§. I.) *Febris neruoſae natura obſcura. Quo ſenſu vox naturae febris hic admittenda? ne fallat lectorem exſpectatio.* (§. II.) *Nomen febris neruoſae congruum.* (§. III.) *Hiſtoria morbi. Regula ſaepe repetita, repetitur in tradenda morbi hiſtoria obſeruanda.* (§. IV.) *Diuerſa morbi neruoſi acuti forma externa.* (§. V.) *Hiſtoria morbi. Decurſus, ſymptomata eſſentialia, exitus, mors, criſis.* (§. VI. VII. VIII. IX. X.) *Referentur obſeruatae ab auctoribus cauſae ad duo genera* (§. XI.) *Fit periculum de definienda morbi natura.* (§. XII.) *Alia conſtituitur irritamenti febrilis conditio in febre neruoſa, idem praeſtans ac cauſa vulgo admiſſa.* (§. XIII.) *Argumentis haec probabilia fiunt.* (§. XIV.) *Argumenta grauiora ſequuntur.*

quuntur. (§. *XV.*) *An ideo plane reiicienda vulgo admiſſa theoria?* (§. *XVI.*) *Cauſae febriles euoluuntur exactius.* (§. *XVII.*) *Iudicium denique obtinetur, ferendum de natura febrium neruoſarum, quatenus peculiare ſiſtant febrium genus in ſyſtemate aegritudinum naturali.* (§. *XVIII.*) *Notio febris neruoſae in genere, ſuperinſtructa nempe cauſae ſanandae conditioni. Species febrium huc referendae.* (§. *XIX.*) *Differentia ſpecifica harum febrium quoad cauſarum ſanandarum rationem, in ſingulis febris neruoſae ſpeciebus conſpicuam.* (§. *XX. XXI.*) *Mentio fit obſeruationis, qua vero nulla dictis detrahitur fides. Illuſtrantur potius hinc dicta, vt et aliis, criſium difficultate, reliquis* (§. *XXII.*).

DE

DE
FEBRIBVS NERVOSIS ACVTIS.

§. I.

Scripſerunt plures de febribus ſic dictis neruoſis; plurimi tamen de febre *lenta* neruoſa; de febrium *acutarum* charactere neruoſo pauci. Vix vero vnum alterumue de natura *harum* febrium interna *certum* quid enunciantem inuenies. Res potius ita ſeſe habet. Proferunt auctores hunc illumue caſum de obſeruata febre acuta; nullum ex iis febrium characteribus ipſi adſcribendum eſſe demonſtrant, de quibus non amplius lis eſt inter medicos; ſingularem itaque iis competere characterem enunciant, hunc neruoſum vocant, additaque forte conjectura ab hoc illoue obſeruatore de huius febris natura, ceterum tamen a certa illius definitione alieni hanc aliis relinquunt, abſtinentes potius ab explicanda harum febrium interna natura. Quae de febribus neruoſis ſcripſerunt Manningham, Huxham, Willis, Whiters, Mac-

bride, Grant, Vogel, Stolle, Demiani, Selle aliique multi, ea certe dicta probabunt. Obſcuram itaque nunc adhuc eſſe harum febrium imprimisque acutarum neruoſarum naturam, nemo facile negabit, cum diſſentiant non ſolum celeberrimi viri ſed potius plurimi ob rei obſcuritatem ab vlteriori explicatione omnino abſtineant. Veniam itaque certe dabit beneuolus et aequus Lector, noſtrum diiudicaturus inſtitutum. Cum enim de re obſcura agatur ea vero tamen non leuis momenti (§. II.): audiendus eſſe videtur, qui quidem perfectam rei explicationem nec promittit nec in promptu habet, ad illam vero aliquando forte faciliori negotio impetrandam, particulam ſuam conferre ſtuduit. Multas idearum ſeries mens ſaepe humana, dum meditatur percurrit, hanc illamue viam in meditando ingreditur; ſaepe vero in fine longae viae, falſam hanc eſſe, tum demum certe ſentit quod primum videre ipſi non licuit. Id itaque tamen certe obtinebo, vt, qualis noſtra via ſit, an pergendum in illa, an reliquenda, Lectori paullo *facilius* pateat, quam ſi ipſe inter alia et hoc feciſſet periculum. Quid vero denique multa? In magnis voluiſſe ſat eſt.

§. II.

Ne vero leuis momenti quaeſtio eſſe videatur de interna febris acutae neruoſae natura, neue aliam, quae nunquam in animo

animo fuit, huius naturae explicationem quis exſpectare queat: id moneo, hanc febrium ſpeciem veram conſtituere febrium acutarum ſpeciem vel in ipſo ſyſtemate aegritudinum naturali. Si quidem quaeſtio eſſet de interna natura febris *morbilloſae*, tanquam ſpeciei febrium, ad miasmatis naturam ad cauſae febrilis agendi modum, ad mutationes inde promanantes corporis omnes bene explicandas animum forte quis verteret; at vero de his quaeſtionibus ſimilibusue lubenter omnino ego ſemper abſtineo. Quaeſtio vero hic eſt de *vera* febrium ſpecie. Vt gaſtrica febris in ſyſtemate naturali ſuum locum peculiarem ſibi vindicat, vt putrida, vt inflammatoria, vt verminoſa, ita et noſtra neruoſa. Quaerens itaque: quae ſit *verae* febrium in ſyſtemate naturali ſpeciei *interna natura?* non omnium, quae in corpore contingunt, mutationum rationes naturam nexum, non ad agendi modum cuiusuis intercedentis cauſae ſtatus morboſi aliaue ſubtilia eiusmodi reſpicio. Sufficit potius mihi cauſae febrilis ſanandae cognitio, et ne multa, reſponſio congrua ad has, quas dicam, quaeſtiones: quae ſit in hac febrium ſpecie cauſa febrilis therapeutica? cur ita haec comparata ſit, vt peculiarem medendi methodum poſcat, ideoque ſingularem etiam locum in ſyſtemate naturali aegritudinum ſibi vindicet? De modo vero agendi cauſae febrilis tunc modo quaererem, ſi quidem ipſa agendi ratio cauſam ſiſtit, cur peculiarem medendi methodum poſtulet potentia febrilis. Ideo itaque tantummodo inueſtiganda

venit febris neruoſae acutae natura, vt cauſarum, quae in hac febrium ſpecie therapeuticae ſunt, ratio ſingularis ac diverſa mihi pateat, praeſente itaque hac febre cauſae febrilis ſanandae diuerſitatem huiusque diuerſitatis rationem bene intelligam. Perſpecta huius febris natura rationes habebo cognitas, ex quibus vel diuerſa ſit ipſa in hac febre cauſa febrilis vel huius ſanatio; cognitum habebo, quid ſit quod peculiaris locus huic febri in ſyſtemate aegritudinum naturali concedendus ſit. His vero duobus perſpectis aliorum, quae ad naturam febris perſpiciendam referri forte poſſent, mea vix intereſſet. Huius enim naturae cognitio in eum praecipue magnum finem tendit, vt completa eaque ſimpliciſſima febrium diuiſio naturalis impetretur, confirmetur, eiusque ſimul ratio quoad cauſas clara euadat medico, de aegritudinum nempe cauſis, quantum fieri poteſt perſpiciendis iure ſollicito. En itaque, quae meditanti mihi *ex hoc reſpectu* de febris acutae neruoſae natura non omnino improbabilia aut negligenda videbantur, et quae quidem certe examini non ſubieciſſe fateor, niſi de explicando peculiari vniuerſo febrium charactere vero ſermo eſſet, in quo quidem obſcuro illuſtrando errare minus dedecet, meditari vero et explicationi certe ſtudere magis decet, quam in ſtatu morboſo propter ſymptomata mere accidentalia haec illaue a pathologis in pathologiam recepto atque ſingulari ideo nomine inſignito.

§. III.

§. III.

E re tamen erit, vt recordemur hiſtoriae huius morbi, quam itaque facta hac illaue de nomine morbi annotatione, adiiciam. Sunt, qui febrem neruoſam in genere lymphaticam dicant. Reſpicere tamen videntur potiſſimum ad lentam neruoſam. Incongruum vero nomen certe nunc temporis adhuc eſſe, cum pateat nondum certiſſime, an vere in culpa ſint humores lymphatici, quisque facile largietur. Mentionem faciunt nonnulli febris ſpaſticae, hyſtericae, et ad acutam neruoſam reſpicere videntur. Nec vero hoc nomine inſigniri bene poſſe, facile patet, cum accedant ſpaſmi ad alias febrium ſpecies, et motus febriles, febriſue in malo hyſterico alius ſaepiſſime naturae eſſe ſoleant. Alii febrem acutam neruoſam dixerunt febrem malignam. Febres nempe neruoſae ſpecie ſaepe leues ſunt, reapſe vero grauiſſimae. Si vllam febrem certe hanc itaque ita vocari poſſe crederes. Non vero ſine iure in pathologiae generalis praeceptis id mihi monere videntur medici, vt certe abſtineamus a voce malignitatis ad deſignandam vllam, *veram* morborum ſpeciem. Sunt enim ita diuerſae malignitatis cauſae, vt ſi febrem malignam ſpeciem febrium ponas, magnum febrium numerum quoad ſanationem, ideoque internam naturam diuerſiſſimarum ad vnam ſpeciem referre videaris violenta ratione. Nomen vero neruoſae febris vario ex reſpectu huius febris naturae bene reſpondere, ex iis quae dicenda ſuperſunt manifeſto pate-

 bit

bit. Et abſtinebis itaque eo lubentius ab ambigua illa voce malignitatis.

§. IV.

Traditurus febris acutae neruoſae hiſtoriam id primum monebo quod quidem monuerunt pathologorum plurimi celeberrimi, nihilominus tamen, quod ſaepius repetatur, digniſſimum omnino mihi videtur. Abſtinendum nempe eſt in tradenda ipſa morbi hiſtoria a recenſendis ſymptomatibus accidentalibus, et multo magis ab enarrandis ſymptomatibus fortuitis, iisue, quae temere accidunt, vt loquar cum ipſo Hippocrate. Non erit ſuperfluum omnino, accidentalia potiora ſymptomata hiſtoriis morborum adiicere, ipſis vero hiſtoriis haec interponere, magnum ego habeo pathologi errorem. Hinc ſaepe longa et vt male vocant completa morbi hiſtoria perficitur, nunquam vero foecunda, practica. Qui enim morbi hiſtoriam poſtulant ii certe vt quae ipſis enarrantur ſymptomata in caſu obuio iterum inueniant, dignoſcant, ſine dubio maxime cupiunt. Iam vero quomodo hunc attingent ſcopum, omnibus quae vnquam in ſtatu quodam morboſo obſeruata ſunt ſymptomatibus in huius aegritudinis hiſtoria fuſe enarratis? Nunquam inde viuida et exacta obtinetur morbi imago. Hinc eſt, niſi me omnia fallant, quod celeberrimus Sydenhamus in praefatione Opp. laudatae regulae obſeruationem inter ipſa retulerit auxilia, ex quibus

artem

artem ſalutarem medicam incrementum haurire poſſe exiſtimauit.

§. V.

Ante omnia itaque primum tenendum eſt: *accidentalia ſymptomata huius febris acutae diuerſiſſima eſſe, diuerſiſſimam eſſe formam morbi externam.* Sunt febres ſic dictae catarrhales, febres varioloſae, morbilloſae, peſtilentiales, dyſentericae, intermittentes aliaeue multae, quibus hoc illudue exanthema aliudue phaenomenon nexum eſt quoad externam itaque formam valde diuerſae, in hoc vero illoue caſu ad febrem neruoſam nihilominus tamen referendae. Poſtulabit nempe aegri ſalus, inſtituenda medendi methodus, vt febrem neruoſam adeſſe ſtatuas, minus ſollicitus de exanthematis ſpecie, alioue ſymptomate vllo accidentali. Ita verbi gratia cognatis artis medicae non peritis febre varioloſa aegrotantem laborare medicus concedit, artis vero perito, de morbo quaerenti neruoſam febrem eſſe reſpondebit. Iam vero ſymptomata eſſentialia nec non ea eruamus, quae ſaepiſſime huic febri accedere ſolent, vt exacta morbi hiſtoria pateat.

§. VI.

Praeſto eſt febris acuta, ideoque et ſymptomata, quae ſatis ſuperque conſtant febrilia. Haec tamen in hac febre alia ratione incedunt. Vix vnquam ſubito aegrum febris

corripit,

corripit, vt in aliis, imprimisque inflammatoria febre obſervari ſolet, quae quidem ſimplex inſtar fracturae oſſis, vt ita dicam, aegrum ſubito ſaepe corripit. Praecedit plerumque ſtadium morbi leue, quo ſingularis tamen inquietudo vrget, ſiue anxietas. In hoc quandoque ad ſomnum procliues ſunt aegri, vel de leuiori horrore corporis, aeſtu volatili, virium debilitate illi ſimili, quae poſt verberationes corporis percipitur, de capitis doloribus, vertigine, nauſea, quaeruntur. Accedit nonnunquam ipſe vomitus quo inſipida plerumque eiicitur pituita. Nec raro obſeruantur ſudores tenues abſque vllo lenimine, dolores circa artus atque praecordia et vmbilicum. Senſu aegrotationis ſingulari plerumque aeger afficitur, ita vt aliis ſymptomatibus nullam morbi malignitatem manifeſtantibus, ipſe tamen aegrotans vere male ſeſe habere ſentiat, vnde animi quaedam obſeruatur ſollicitudo ſiue abiectio. Pulſus naturalem frequentia atque celeritudine quandoque vix ſuperat, praeſente tamen febre, vt ex aliis certioribus diiudicatur phaenomenis, virium nempe debilitate, nec huic reſpondente ſanguinis naturali motu. Percipitur vero ſaepiſſime pulſus quaedam inconſtantia, ita vt alternatim mox hac mox illa ratione in vno eodemque aegrotante ſeſe habeat. Mox enim debilior mox paullo fortior, mox intermittens, plerumque vero celer paruus debilior obſeruatur. Lingua, certe poſt aliquot dies magis ſicca, quandoque alba muco leuiter obſita; dein vero ſaepe

aſpera,

aſpera, dehiſcens, aphtis tentata, tremens. Vrina plerumque mingitur pallida vel turbida, ſordibus fundum vaſis non petentibus, inquinata. Vt nullum pulſus, ita nec calor nec frigus febrile certum ordinem ſeruat. Ardent nonnunquam genae, frigent interim aures et naſus; adeſt calor, intercipitur a frigore; mox leuis, mox intenſior calor, et ſic porro. Eadem omnino inconſtantia in omni febris decurſu animaduertitur. Quoad typum enim nec regulariter continua nec vere continens eſt; plerumque tamen remittit, ita vt exacerbentur ſymptomata tempore veſpertino. Cephalalgia, capitis temulentia, ſuſurrus, tinnitus aurium aliaque delirium febrile praecedunt. Hoc vero itidem ſingularem prodit febris naturam. Sunt enim deliria magis obſcura, languida, vt cum Galeno loquar, hectica. Delirat nempe aeger, loquitur multa inſanus nullo vero omnino virium impetu aut furore aut maiori certe actiuitate praeſente; habet potius ſaepe aeger ſpeciem meditabundi aut recitantis quid tacite vt vix percipiatur; ne multa, conſpicua ſunt deliria et ſimul virium debilitas. Vigente delirio ſpaſmis ſubinde tentatur facies, vt metuenda illa occupet faciem ſerenitas, quae riſus ſardonicus medicis audit. Balbutiunt ſaepe aegri, quin priuantur interdum facultate loquendi. Vox in decurſu morbi ſaepe mutatur, vt mox aſpera mox acuta euadat; deglutitio laeditur ſpaſmis, vt dolorifica reddatur aut moleſta. Oculi nonnunquam in vnum locum fixi ſunt, tentantur

non raro leuiore inflammatione; et ſqualidi debiles aut ſpasmis affecti ſaepiſſime apparent. Primis morbi diebus ſenſilitas aeque ac irritabilitas praeter naturam aucta ſeſe prodit multis ac variis ſymptomatibus, annotanda itaque praecipue in huius morbi deſcribenda natura. Mox a lucis radiis, mox a minimo ſtrepitu vehementer laeduntur, vt photophobia, aliaque *permulta* irritabilitatis ac ſenſibilitatis auctae phaenomena appareant. Hiſce accedunt effectus ſoliti ſpaſtici, vt hae illaeue partes vexentur ſpasmis, vt quando eueniant conuulſiones tetani aliaque ſpaſmorum genera. Dein vero haec intenſa nimis et acuta neruorum vis in oppoſitum vitium tranſit, ſequitur ſtupor, inſenſilitas, virium proſtratio. Sopor perpetuus, inuoluntariae excretiones alui, lacrymarum, conuulſiones aliaque proſtratae neruorum vis ſymptomata vitae periculum ſummum annunciant.

§. VII.

Primis huius morbi horis inflammatoriae febris ſuſpicio oboriri nonnunquam poſſet. Hic obſeruata ſaepe eſt pectoris quaedam oppreſſio, vt peripneumoniae aemula fuerit. Deeſt tamen anima calida et tuſſis; pulſus paruus debilis contractus, vt et ſpaſtica ſymptomata eaque alia ex irritabilitate praeternaturali promanantia errori locum non concedunt. Mere itaque ſpaſticam dyſpnoeam adeſſe, facillimo negotio eruitur. *Symptomata vero neruorum, in hoc morbo ſemper obuia, nec ſibi*

ipſis

ipſis nec aliis cauſis febrilibus cognitis reſpondent. Nulla obſeruatur vera ſanguinis phlogiſtica indoles, non ſordes primarum viarum, non pus reſorptum, non vermes, ne multa, nulla omnino cognita cauſa febrilis ſufficiens. Quodſi enim vna forte ex his accedat cauſa febrilis et vere praeſto ſit, nulla tamen omnino inter hanc et ſymptomata neruorum totum morbum comitantia intercedit ratio perfecta. Illa enim ſenſibili atque cognita febrili cauſa arte remota, febris decrementum, verum vix ſequitur, nedum finis. Nulla itaque ſenſibilis, cognitaue cauſa febrilis praeſto eſt, febri neruoſae praeſenti inſtar cauſae exacte reſpondens. Et hoc itaque ipſo momento vnum characterem diſtinctiuum febris neruoſae abſolui, concedo, huic tamen nimiam fidem habendam non eſſe ſuaderem, quippe quod huius characteris applicatio remediorum vſum ponit tentandum in morbo, quem per ſe grauem minima ſaepe medica tentatio reddere ſine dubio valebit grauiorem. Alia inſuper ſymptomata laudata vix difficultatem in diagnoſi relinquunt, ita vt hoc charactere potius ad eruendam morbi cauſam quam ad diagnoſin vtendum eſſe exiſtimem. Laudarem itaque hoc momentum, vt in pathologia eo vti queant medici ad euoluendam febris neruoſae cauſam, non vero ad dignoſcendam in caſu obuio febrem neruoſam, quamuis negandum non ſit, poſſe nonnunquam ad morbi diagnoſin ducere. Nec enim hic ſolus eſt caſus, vbi a iuuantibus aut nocentibus fit indicatio medica atque diagnoſis.

§. VIII.

Non raro obſeruata in hoc morbo eſt ſtranguria quaedam, atque debilitas linguae ſenſum punctionis relinquens. Illa ſine dubio ſpaſmis annumeranda venit, huic morbo ita familiaribus, eadem omnino ratione ac horrenda illa faciei ſerenitas aliaque plurima ſpaſmorum genera, quorum longae enumerationi ſuperſedeo. Primum morbi ſtadium leuem omnino morbum ſaepiſſime annunciare videtur, nec tamen ab adhibitis ſolitis remediis, cauſis febrium vulgaribus aduerſis, vſus redundat exſpectatus alias obſeruandus, cauſae vulgaris febrium remotioni reſpondens. Ipſa ſymptomata ſibi repugnare quaſi videntur, vt verbi gratia fortitudinem plenitudinem quandoque contrahat pulſus, facta vero venae ſectione, in peius omnino ruat aegritudo. Sudor largus, pulſus mollis eueniunt, haec vero, vt exſpectares, ſomnus nullus reficiens excipit. Fluxus haemorrhoidalis aegro olim familiaris ex aliquo tempore vero ſuppreſſus nunc forte contingit morbo vigente et exſpectares inde auxilium, vides vero nullum. Eſt denique vnum adhuc huic morbo maxime familiare ſymptoma, peruigilium nempe, quod frequentiſſime totum morbum comitatur, neruorumque ſyſtema turbari, egregie probat. Clauſi ſubinde ſunt oculi, nec tamen vere dormiunt.

§. IX.

§. IX.

Mors, dum ſcenam claudit, ſequitur vel ſpasmorum vehementiam, vel infelicem quamcunque metaſtaſin, imprimisque peripneumonicam pectoris affectionem (ſtertor ſequitur et expalleſcit aeger) vel denique, vt ſubinde accidere videtur, paralyticam quaſi totius ſyſtematis neruorum reſolutionem, quam ſtupor, inſenſilitas, coma annunciant.

§. X.

Criſin in hoc morbo excitare natura aegre valet, eamque abſoluit omnino difficulter. Cum vero emergunt aegri, ſomno primum quandoque morbum fugaſſe videntur. Decreſcit febris ſucceſſiue inſenſibili fere ratione, vix percepto vllo manifeſto naturae auxilio. Dein vero negari non poteſt prorupiſſe ſubinde ſudorem copioſum, acrem, cum leuamine. Denique vero metaſtaſes minus nociuae aut ipſae ſalutares quandoque contingunt. Ita verbi gratia affecti ſunt leuiter pulmones, febris neruoſa inde fugata, ſequebatur vero aegritudo noua, auertenda nonnunquam, mutata a medico perito medela adhibitis nempe nunc temporis leniter antiphlogiſticis. Obſitae fuerunt fauces in aliis caſibus cruſta, deglutitioni dein moleſta et abſtergentibus remouenda, dormiente vero aegro nata. In ſomno itaque et ſumma ſalus et ſummum in hoc morbo periculum. Diiudicatis vtrumque ex longitudine ſomni ſymptomatibus quae comitantur, madore cutis forte

praecipue ſalutari ſigno non negligendo, iisque praecipue quae ſomnum ſequuntur. De ceteris, quae ſalutariter contingunt, res magis dubia. An forte et de iis quae dixi? Non omnino negarem. Sunt enim ea forte potius effectus factae iam a natura criticae operationis, nobis vero obſcurae. Habemus in ſomno aliisue laudatis huius operationis effectus, ſigna itaque criticae operationis factae ſiſtentes, non vero ipſos criticos, ſalutares, morbum fugantes. Sunt vero haec obſcura ex iis tamen quae ſequuntur quodammodo forte illuſtranda.

§. XI.

Quas vel praegreſſas vel praeſentes et vt certe videbatur culpandas huius aegritudinis cauſas obſeruarunt auctores: ad has quas dicam duas referri poſſe exiſtimo. *Primum* enim omnia, quaecunque vim frangunt neruorum, inprimisque eam nimis intendendo prius ſollicitant et dein deſtruunt, huic febri fauere quam ſaepiſſime et ex vario reſpectu vere obſeruatum eſt. Pertinent huc verbi gratia animi pathemata grauiora diuturna, ſtudia nimia, Venus praematura, nimia, ſolitaria, inebriatio frequens, euacuationes ſanguinis ſimilesue nimiae, aliaue omnia quibus vis labefactatus vitalis. *Deinde* vero in hoc febrium genere irritamenti febrilis cuiuscunque alius in hoc illoue caſu veſtigia quaedam manifeſta fuere. Mox verbi gratia

ſordes

ſordes primarum viarum mox certe apparentem ſanguinis indolem phlogiſticam, mox materiem rheumaticam, catarrhalem praeſentem, mox ipſam ſanguinis corruptionem, mox cauſas alias febriles obſeruarunt. Singulae vero febri omnino reſpondere non videbantur. Viderunt petechias, puſtulas gangraenoſas, aliaue putredinis ſigna nec tamen ab antiſepticis fixis remediis exſpectata ſalus promanauit. Eadem omnino ratione aliae febriles cauſae laudatae vim remediorum, alias ipſis congruorum, deludere viſae ſunt.

§. XII.

His itaque praemiſſis, faciamus periculum, an paullo exactius et magis definitum quid eruere liceat de huius febrium characteris natura, legitime nempe et caute concludendo. *Primum* itaque hoc certum eſt, per omnem morbi decurſum multa conſpicua eſſe neruorum ſymptomata. Probat hiſtoria morbi. In hac itaque febrium ſpecie neruorum ſyſtema praeprimis affici; huius adeſſe vitium, affectionem morboſam; certe ſtatuendum eſt. *Deinde* vero ex multis huius febris obſeruationibus conſtat, locum vere habere alia cognita irritamenta febrilia (§. XI.). Haec itaque non ſtatim, non abſolute negari poſſunt vt cauſae praeſentis febris neruoſae. Cum vero omnino non febri reſpondeant, iis ſublatis aegritudo non tollatur ſed potius exacerbari ſoleat; febris neruoſae rationem ſuffi-

cien-

cientem minime conſtituunt; ſi itaque concauſas febris ſiſterent, cauſas tamen veras, ſanandas, therapeuticas abſoluunt nullo modo. Concauſas vero eſſe, inde modo ſtatuere ſolent, quod alias vt cauſae febriles cognitae ſunt, hic vero febrem quandoque comitantur. *Tum* erit ſtatuendum hoc. Nulla alia in febre neruoſa reperitur cauſa febrilis; neruorum itaque quae certe praeſto eſt morboſa affectio *talis* eſſe debet, qua praeſente irritamentum febrile exiguum certe ad ſpeciem magnitudini febris non reſpondens, effectus tamen graues, febrem magnam, et ſymptomata grauiora imprimisque neruorum producere valet. Facile patet huius afferti generalis veritas. *Poſtea* vero non niſi hac limitatione in concludendo pergerem. Illa neruorum debilitas, quae ſenſilitatem auctam aeque ac irritabilitatem nexam habet *eiusmodi* neruorum affectionem vere ſiſtit, qua praeſente vel minores cauſae febriles grauiores effectus edere valent. Erit itaque hoc neruorum vitium, nexum cum irritamento febrili minori, pro cauſa febris neruoſae vera *tunc* modo habendum, cum nulla alia neruorum affectio nullaue alia irritamenti febrilis ad ſpeciem certe leuioris nec congrui conditio cogitari queat, qua nempe praeſente idem omnino forte contingeret. *Denique* igitur ita caute concludendo hoc obtinemus. Antequam abſolute dictum illud neruorum vitium in culpa eſſe ſtatuamus: quaeſtio primum inueſtiganda neceſſario venit, an non alia exiſtat irritamenti febrilis ner-

vorum-

vorumque conditio, idem omnino praeſtans, quod ſenſilitas et irritabilitas aucta neruorum debilium, ab exiguo, ceterum vero irritamento febrili ſollicitata? *Illius* enim inveſtigandae conditionis immemores ad *hanc* nimis properanter concludere medici videntur. Merito peculiarem ſtatuunt pathologi ſyſtematis neruoſi debilitatem, quam quidem ſenſilitatem et irritabilitatem praeter naturam auctam adiunctam habere ſtatuunt. Adeſt, inquiunt plurimi, in febribus neruoſis eiusmodi ſyſtema neruorum, et quod hoc ab exiguo irritamento febrili vulgari ſolito ceterum more turbatur, inde fit omnis febris neruoſa. Quaenam idearum ſeries ad hanc ducat concluſionem audiuimus; quasdam vero hic non negligendas veritates praeteriri, videbamus, veniuntque igitur hae conſiderandae.

§. XIII.

Eſt vna irritamenti febrilis conditio, idem omnino praeſtans ac vera illa morboſa neruorum debilitas nexa cum erethiſmo, ſenſibilitate morboſa aucta, et irritamento febrili exiguo. Fac enim, cauſam aliquam febrilem vulgarem, quae in aliis febribus ſenſibilis eſt, manifeſta et magnitudini febris manifeſto reſpondens, (materiem, v. gr. rheumaticam, putridam etc.) quae vero in febre neruoſa minori gradu et copia apparet, quam quod febrem inde omnino deducere poſſes; fac, inquam, hanc aliamue cauſam

 ſyſtema

ſyſtema neruorum *idiopathice* afficere, hoc (ſaepe ante acceſſionem morbi ſanum) ſollicitando primum *phaenomena*, quae alias ab illa debilitate, ſenſilitate et irritabilitate neruorum vera dependent, producere, motus nempe neruorum inordinatos, inde promanantes ſpasmos aliaque, dein vero vim neruoſam proſternere (ſicuti ex phyſiologia notiſſimum eſt nimiam vis neruorum ſollicitationem huius languorem producere) eadem omnino ratione cauſam febris neruoſae ſufficientem habebis, ac ſi veram vbique ſtatueres illam debilitatis neruorum ſpeciem, quae ſenſiles parit neruos, et praeter naturam irritabiles fibras muſculares, nunc ab exiguo vulgari irritamento febrili turbatas. Ex iis vero quae dicam ſingulis ac omnibus bene comparatis illud, niſi omnia me fallant, valde probabile, hoc vero minus probabile et in hoc forte illoue caſu febris neruoſae praeſentis pro vero aſſumendum eſſe, euinci poterit.

§. XIV.

Quae vero antea de febre neruoſa ſtatuenda forte eſſe enunciaui, ea certe probabilia eſſe, primum demonſtrare annitar: accedunt vero dein argumenta etiam grauiora. Primum itaque videmus, ita vt videbatur vere comparata febris nervoſae natura, bene huic reſpondere morbi decurſum, phaenomena omnia, atque ipſam morbi grauitatem. Patet facile morbi grauitas apparente cauſa vel minori; idiopathice enim

afficitur

afficitur ipſum ſyſtema vitale; patet ſenſus aegrotationis peculiaris, de quo queritur aeger ſaepe in principio morbi, aliis ſymptomatibus nullis periculosis, tamen praeſentibus; partes enim ſentientes ipſae vim morbi iam experiuntur; peruigilium, ſymptoma maxime familiare huic morbo, omniaque quae tot et tanta ſunt, neruorum ſymptomata, exinde facillime explicantur. Conſentit egregie *inordinatum* illud, in omni morbo, in ſingulis ſymptomatibus obſeruandum. Typum morbi inordinatum, inconſtantiam ſymptomatum, haec aliaue quae ſine ordine contingunt, ita contingere debere patet, cum idiopathice afficiantur nerui, quorum imperium latum eſt in ſingulas corporis functiones. Quod adeſt irritamentum febrile quomodo quaeſo in cor et arterias agit niſi per neruos? quomodo vero febrem regularem producere valebit cum nerui ipſi ſollicitentur idiopathice affecti eorumque inordinati inde excitati motus inordinatos effectus producant, circulum ſanguinis vt ita dicam non conſueta febrili ratione ſed longe alia deprauent? Idem probabile reddit criſis aegre ſuccedens, (cum deſtituatur quaſi natura euacuandi facultate, nec in viis bene excretoriis cauſa febrilis lateat) ſomnus ſalutem quandoque afferens, ſymptoma ſaepe criticum, leniſue ſudor (quod certe probat non amplius neruos idiopathice affici, liberari quaſi ſiſtema neruorum a cauſa morbifica, eiusque ideo quietem obtineri nunc poſſe) pulſus nonnunquam naturalis proſtratione virium tamen praeſente; ſtadium morbi

leue, cum obſcura non ſenſibilis adſit cauſa febrilis; phaenomena ſenſibilitatis, ſpaſmi, aliaque et oppoſiti vitii ſymptomata tandem inde promanantia. Saepius iam medici locuti ſunt de contagio neruoſo. Obſeruarunt nempe in morbis contagioſis grauitatem morbi differe, prout hanc illamue magis vel minus nobilem corporis partem primum miaſma petiit, prout hanc illamue corporis partem ingreſſum eſt miaſma contagioſum. Neruis nonnunquam primum ſtatim miasma communicari ex iis obſeruationibus deduxerunt, in quibus ſtatim a prima contagii hora neruorum ſymptomata comparuere, morbi omnem decurſum comitantia, nec raro lethalia. Ita in variolis aliisque morbis medicis viſum eſt. Quidni igitur ſimile quid, idiopathicam nempe neruorum affectionem in hoc febrium genere concederent? Immo vero, ſunt multo maiora argumenta, quibus certe euincitur, *in omni febre neruoſa vulgarem illam medicorum theoriam de ſyſtemate neruoſo debili ſenſili atque irritabili nunc ab exiguo irritamento cognito febrili ſollicitato, vt veram huius febris cauſam valere non poſſe, ſed confugiendum potius eſſe ad ea quae ſupra adiecimus.*

§. XV.

Qui igitur hac de re dubitare vellet, ex eo *primum* quaererem: an omnes omnino qui febre neruoſa laborarunt acuta,

acuta, vera laborauerint neruorum illa ſingulari debilitate? an admiſerint olim cauſas neruorum vim ea ratione depravantes, vt mox ſenſilitatem atque erethismum comitem habeat debilitas? an vero potius in febrem neruoſam quandoque inciderint, quibus nullum omnino fuit antea ſyſtema neruorum praeter naturam ſenſile atque debilitatum, ſed potius ſanum? qui illas nunquam admiſerunt neruorum vim labefactantes cauſas? Et certe hoc negari non poterit. Ipſis enim, qui in hoc neruorum vitio maximam cauſae partem in febre neruoſa quaerunt, iis ipſis proprias obſeruationes ſuas has illaſue opponere poſſem, ex quibus nempe manifeſto patet, vegetum potius ante morbi acceſſionem fuiſſe neruorum ſyſtema in hoc illoue aegrotante; et ſi forte his propriis obſeruationibus hanc fidem concedere non poſſent, alias certe multas e ſcriptis optimorum medicorum aeque ac ex colloquiis medicis vt et propria denique experientia edoctus in medium proferre poſſem, quibus id certe euincitur, corripi quandoque hoc febrium charactere, quibus ante morbi acceſſionem vera illa neruorum debilitas nexa cum erethismo atque ſenſilitate plane nulla fuit omnino; qui vero potius ab omnibus omnino cauſis abſtinuerant, huic neruorum conditioni fauentibus; alii denique qui valde ab hoc neruorum vitio alieni, ne diſpoſiti quidem ad illam fuere; ſed ad oppoſitum omnino neruorum vitium ſecundum naturam procliues magis eſſe videbantur. Iam vero

 cuiuis

cuiuis hoc loco difficultas quaedam in animum veniet faci-le, noſtro argumento quodammodo adverſa. Ne itaque praeterire quid videar vt minus fauens ſententiae meae, faciam et huius mentionem ingenuo animo. Opponere haec poſſes. Concedendum omnino eſt, fuiſſe quandoque hoc febrium charactere correptos, quibus illud ſaepe laudatum neruorum vitium plane non olim adſcribendum fuerat, quique ab omnibus cauſis huic vitio fauentibus valde alieni ne diſpoſiti quidem ad id eſſe viſi ſunt: nihilominus vero tamen ſecundum vulgarem ſententiam in hoc vitio maximam febris neruoſae cauſam quaerere licet, quippe quod irritamenta febrilia in his ſimilibusue omnibus caſibus illam ſyſtematis neruoſi conditionem *ſubito* determinaſſe videntur. Huic vero obiecto niſi me omnia fallant, ita veritati conuenienter reſponderem. Eſt hypotheſis, cui quae faueant vera argumenta, ego quidem plane non video, ſed fac contingere per ſe hoc poſſe, nego tamen contingere poſſe, *niſi* hac poſita conditione, verum eſſe quod ſupra enunciauimus, idiopathice nempe neruos affici, et ſic porro. (§. XIII.) Quodſi enim, vt aſſumis, irritamentum febrile vulgare (ita exiguum vt in hac febre conſpicitur) tantos, tam graues produceret effectus, vt ſubitanea inde fieret neruorum debilitas illa laudata, quomodo quaeſo hoc vllo modo ſtatuere poſſes, niſi vere idiopathice affecto ſyſtemate neruorum ab hoc irritamento vulgari? Conſtat enim ita exiguum

hoc

hoc eſſe ſolere in his febribus irritamentum, quod patet, febrile, ita obſcurum, ita omnino febris magnitudini non congruum; ita parum denique eius remotionem votis reſpondere, vt ſingula haec dictis fidem conciliare vtique videantur. Quod vero *ſecundo loco* quaererem, hoc abſoluitur. Anne omnes, qui vitio illo neruorum laborant, accedente leuiori potentia febrili, in febrem neruoſam vere et ſemper incidunt? Ego certe minime crederem. Hoc enim illudue neruorum ſymptoma febris comes erit facillime, inde vero non obtinetur verus febrium peculiaris character neruoſus dictus et ſingularem indicans febris ipſius medelam. Obſeruatur illud neruorum vitium ſaepiſſime, accedit potentia febrilis, et oritur alia febrium ſpecies, ad neruoſam neutiquam referenda. Abſoluitur febris medela, quamuis abſtineas ab omnibus remediis ſic dictis antineruoſis. Subiecta vere hyſterica in febrem ſimplicem gaſtricam biliofam quandoque incidunt, a febre neruoſa vera minime in hoc caſu tentati. Sint procliues ad hanc, ſed non abſolute hac febrium ſpecie afficiuntur, accedente potentia febrili. Quoties nonne irritamentum febrile ſatis notabile in eiusmodi ſubiectis (ſit venia verbo) vere neruoſis occurrit, nulla tamen erumpente febre neruoſa? Tentantur rheumatiſmo, catarrho, vulnere et quae ſunt reliqua, nullum vero febris neruoſae adeſt veſtigium! Hoc enim, vt iterum incidenter moneam, bene notandum, de febre acuta neruoſa differentem de vero

vniuerſo

vniuerſo febrium charactere ſermonem inſtituere, febris medelam eiusue partem vere dirigente. Poſſet enim et in iis quos vltimo loco poſui caſibus febrem neruoſam quis facile ſtatuere, fretus forte ſua quam finxit definitione, ſed ita habebit minime ſermonem de vera febrium ſpecie, deque cauſis febrium ſingulari methodo medendi remouendis. Liceat vero *tertio loco* quaerere: quid eſt, quod ſublato tuo irritamento febrili vulgari in hac vero febre leuiori, febris nec cedat, nec imminuatur, ruat potius in aegri perniciem, ſiquidem nempe ab actione huius irritamenti in ſyſtema neruorum debilitatum ſenſile atque irritabile ita ſimpliciter febrem omnem neruoſam acutam deduci poſſe ſtatuas? Eſſet forte ſubtilis reſponſio: remediis hoc ſcopo adhibendis ipſam neruorum debilitatem augeri, an autem et vera? Augeatur etiam pars cauſae, deeſt tamen nunc altera pars cauſae, cui febrem debere affirmas? Irritamentum enim febrile paruum conſpicuum remouiſti. Mihi itaque rationi multo magis conſentaneum eſſe videtur, haec parua irritamenta febrilia, morbi potius *effectus* quam cauſas habere, morboſum ſyſtema ſentiens ſollicitando febrem efficientes neruoſam. Et denique *quarto* loco, quod fere maximum eſt, nonne et *epidemicum* hunc febrium characterem obſeruarunt auctores? Anne et hoc fauet vulgari theoriae? Ego certe non crederem.

§. XVI.

§. XVI.

Erit itaque forte ſtatuendum: inde obtineri peculiarem febris acutae characterem, propter variam cauſae ſanandae rationem ab aliis febrium characteribus diuerſum et in ſyſtema ideo aegritudinum naturale recipiendum, quod a cauſis quibusdam febrilibus ſyſtema neruorum *idiopathice* nonnunquam afficiatur, hinc nerui ita affecti et ſaepe olim ſani, neque nunc vere debiles ſenſiles irritabileſue, huius vitii tamen *phaenomena* primum prodant, a cauſa nempe febrili ſollicitati, contrahunt vero exinde tantum languorem vt vi tandem vitali priventur. An vero nunc ſi haec ita ſeſe habent, id *omnino* in febre neruoſa acuta reiiciendum erit, quod de debilitate illa neruoſa a potentia febrili vulgari exigua irritata ſtatuunt, tanquam cauſa febris neruoſae? Fateor, me haeſitare, quid ſtatuam. Non in *omni* febre nervoſa huic cauſae fidem habendam eſſe, id quidem ex antecedentibus mihi perſuaſum habeo, an vero in hac illaue? An forte ibi, cum laborauerint iam antea aegri hoc neruorum vitio? cum vere admiſerint diaetae errores aliasue cauſas proſternentes vim neruorum? Si vnquam, his certe quae circumſtant laudatis conditionibus vere praeſentibus, potentiis febrilibus, v. gr. ſordibus primarum viarum cauſae febris neruoſae partem tribuerem, vix vero in vllo alio caſu, quo potius effectum morbi haberem, quidcunque irritamenti vul-

D garis

garis febrilis ſpeciem prae ſe ferret. Dicamus itaque hunc caſum *ſecundum* illum *primum* in febre neruoſa. De ſecundo tamen res magis dubia.

§. XVII.

Sequitur quaeſtio: quae ſint in caſu primo *cauſae febriles*, quibus idiopathice ſyſtema neruorum afficitur? Hanc quaeſtionem inueſtigaturus altius mihi in meditando iam aſcendere videor, quam quod rei poſcit natura, finisque propoſitus. Poſitis nempe iis, quae iam probaui, natura febris neruoſae tanquam peculiaris febrium ſpeciei iam ponitur. Sed incidenter tamen priusquam illud pluribus euincam omnino obſcurae huic quaeſtioni haec quae reſpondeam habeo, adiicienda igitur paucis. Miaſma ſubtile neruos afficere videtur. Quale hoc? Saepe vulgare, vt contagioſum, morbilloſum, varioloſum, ſaepius forte volatile putridum (comparanda modo eſt febris putrida cum hac; affinitas quaedam non obſcura; euoluendae de hac febre hiſtoriae ab Auctoribus enarratae; ſaepiſſime inuenies putredinis ſolita phaenomena haec illaue; remedia quae laudantur, nonne omnia antiſeptica? ſed quod notandum erit, non fixa, ſed volatilia naturae febris ſupra laudatae (§. XIII) hinc congrua:) nonnunquam rheumaticum, arthriticum, aliudue.

§. XVIII.

§. XVIII.

Miſſis autem hiſce magis obſcuris quaeque ideo inuitum quaſi adieciſſe fateor, prius laudata iam ſufficere videntur, vt quod fuit in animo, nunc feramus iudicium de febre neruoſa. Inueſtiganda nempe huius venit natura, *vt*, quatenus in ſyſtemate aegritudinum veram febrium ſpeciem conſtituat, ſibique iure vindicet, intelligamus exacte. Quomodo itaque *vera* febrium eiusmodi ſpecies erit comparata, vt cui proprium locum in ſyſtemate concedas, digna videatur? Ita ſine dubio, vt vere diuerſa ſit in hac febre ratio cauſarum, quae dicuntur therapeuticae. Eſt vero ita in febre neruoſa. Cauſarum enim, quae ſanandae veniunt, ratio ideo peculiaris eſt, quod *ſyſtema neruorum idiopathice affectum, quatenus ſiſtit aegritudinis cauſam vel permanentem vel vrgentem, cauſam febris ſanandam conſtituit.* Ex iis nempe legibus quibus adſtrictae ſunt cauſae morbificae quoad inſtituendam earum remotionem medicam, inter alia multa et hoc compertum habemus: cauſas aegritudinum permanentes (hoc eſt, quae ſublatione earum rerum tolli nequeunt, a quibus olim vel nunc profectae ſunt), vt et cauſas aegritudinum vrgentes, ideo quod vrgeant, quodue permanentes ſint, ſuam indicare remotionem, tentandam a Medico. Iam igitur, cum ita cauſae in febre neruoſa comparatae ſint, hoc eius differentiam ſpecialem quoad cauſas ſanandas ponit, eiusque naturam conſtituit. Quod ſi enim in aliis febrium ſpeciebus ſyſtema neruorum turbari ſentias, quod qui-

dem vere accidere ſolet, affectum idiopathice ſyſtema neruorum non obſeruabis, neque hoc vitium neruorum cauſam aegritudinis permanentem in alia quacunque febre conſtituit, ſed habes potius cauſas remotas nunc *adhuc agentes*, actionem tuam medicam admittentes, neruorumque ſyſtema vexantes. Quanta igitur intercedit has febres differentia? Hinc eſt, quod diuerſiſſima etiam requiratur medela.

§. XIX.

Poteris itaque ex §. antecedenti noſtram deducere *de febre neruoſa in genere* notionem, ſuperinſtructam nempe a nobis conditionibus cauſae in hac febre ſanandae propriis. Vbicunque igitur *ſyſtema neruorum affectum, quatenus aegritudinis cauſam permanentem vel vrgentem ſiſtit, cauſam febris remouendam conſtituit*, febrem in genere *neruoſam* vocare forte liceret. Huc autem referre poſſes *primum* febrem *neruoſam acutam*, quae communem ſiſtit febrium acutarum characterem; *deinde* vero febrem *lentam* neruoſam; *denique* tandem febrem ipſam *intermittentem quandoque* huc referre deberes, poſita nempe *latiori* illa febris neruoſae definitione.

§. XX.

Oritur quaeſtio: qua in re differant *cauſae ſanandae* in his febris neruoſae ſpeciebus, toto coelo a ſe inuicem ceterum

rum diuerſis? Quod *acutam itaque neruoſam* febrem attinet, niſi omnino ſemper plerumque tamen idiopathice neruorum ſyſtema affici obſeruabis; affectio neruorum cauſa aegritudinis vere permanens eſt, et ex toto; adeſt miaſma idque non raro putridam naturam manifeſtans; cauſa celeriter agit, periculum mox adducit. In febre autem *lenta neruoſa* affectio nervorum ex parte eſt permanens. Accedunt cauſae manifeſtae aliae conſpicuae neruorum ſyſtema turbantes cum euphoria remouendae. Caſus ſupra *ſecundus* dictus, (§. XVI. in fine) in febre *lenta* neruoſa non dubius ſed certus vocandus eſt. Pertinet tamen ad genus febrium neruoſum quod affectio neruorum cauſam primariam ſanandam et certe *ex parte* permanentem tibi ſiſtit.

§. XXI.

Nec denique mirum videbitur quod de febre intermittente *quandoque* valere enunciaui. Primum vero monendum erit, me plane *non* ad illam *febrem intermittentem neruoſam* reſpicere, quae vulgo et iure ita vocari ſolet in aegritudinum ſyſtemate. Pertinet hoc nomen ad deſignandum complicationis febrium caſum, de quo quidem hic ſermonem nullum omnino inſtituo. Poſita vero latiori illa febris neruoſae explicatione (§. XIX.) vulgaris etiam ſic dicta et ſimplex intermittens febris ad *neruoſam* febrem accederet, nemine certe repugnante. Vix enim opus erit, vt moneam, ſaepe in febre

intermittente cauſam vnam remotam tolli, proximam remanere et quidem in hoc caſu permanentem. Impreſſionem febrilem remanere in neruis vulgo dicunt. Quae itaque ſananda venit cauſa, latet in neruorum ſyſtemate, et eſt permanens. In febribus intermittentibus malignis quibusdam ſimile contingit. Quae remotionem proxime poſtulat cauſa neruorum eſt affectio, certe vrgens. In his itaque ſimilibusue caſibus ipſa febris intermittens, quoad cauſas ſanandas aliquam habet cum febre neruoſa affinitatem, ita, vt nonnunquam ad *febrem neruoſam in genere* (§. XIX.) vere referenda ſit. Caecutiret omnino qui de cetera hos morbos intercedente differentia dubitaret; concedenda tamen nihilominus erit illa affinitas, *quoad cauſae ſanandae rationem* conſpicua. Haec vero cauſae ſanandae ratio quomodo in febre intermittente (ſi quandoque neruoſa ſit §. XIX.) differat a conditionibus primae et ſecundae ſpeciei febris in genere neruoſae: (§. anteced.) facile patet. Quae ibi enim laudata ſunt (§. antec.) ea hic deſunt pleraque. Nulla miaſmatis ſuſpicio; affectio neruorum ipſa multo alia; et ſic porro. Eſt vero vel affectio neruorum idiopathica praeſens eaque permanens (in caſu ſic dicto impreſſionis febrilis ſuperſtitis; vbi ad Corticem confugis Peruvianum) vel eadem haec vrget (in febribus intermittentibus malignis) hinc cauſam ſanandam primariam febris conſtituit, hinc ad febrem neruoſam accedit. (§. XIX.) Ipſam vero neruorum affectionem in febre inter-

mittente

mittente multo aliam eſſe ac in neruoſa acuta lentaue, ita certiſſimum omnino eſt, vt peſſime intelligeret, qui de hac affinitate vtriuſque morbi explicanda me vnquam cogitaſſe ſtatueret.

§. XXII.

Quae de acuto febrium charactere neruoſa probabilia ſupra ſtatuimus: iis nulla detrahitur fides, prouocando forte ad illam obſeruationem, qua eos praeprimis febre neruoſa laboraſſe compertum habemus, quibus vera fuit neruorum debilitas nexa cum erethismo nec non ſenſilitate morboſa. *Primo* enim ſupra ſic dicto *caſu*, quamuis vnice forte vero, is tamen huic obſeruationi minime repugnabit. Cauſas enim quas ſtatuimus, ſyſtema neruorum iam debile offendentes, eo magis hoc petere eo facilius grauiuſque afficere poſſe, quis quaeſo non intelligit? Haec igitur laudata communis obſervatio dictis non obſtat; obſtat vero iis, quae vulgo de febre neruoſa acuta ſtatuiſſe narraui, alia obſeruatio, qua homines ad illam neruorum debilitatem plane non diſpoſitos in febrem neruoſam incidiſſe cognitum eſt. Criſin in hac febrium ſpecie aegre omnino abſolui, conſtat. (§. X.) Quid vero praeter hoc momentum magis cum iis egregie conſentire poſſet, quae de acuta neruoſa febre ſtatuenda eſſe exiſtimaui? Huius autem momenti ideo et mentionem paucis facio, quod ad cauſae ſanandae in febre neruoſa rationem illuſtrandam

non

non nihil conferre videtur. Aegre itaque obtinetur criſis. *Primum* enim mirum nobis non videbitur, cauſas exiguas ſed vulgares febriles, quae in febre neruoſa praeſto eſſe ſolent, vere ſublatas nullam adferre aegrotanti ſalutem. Nobis, inquam, hoc mirum non videbitur, ſtatuentibus nempe, iis cauſae febris neruoſae qua talis vix partem vllam tribuendam eſſe. Remotione vero harum cauſarum in peius potius ruet omnis aegritudo, quod, quae ipſis medentur remedia, euacuantia v. gr. medicamina, vim neruorum magis magiſque frangant, certe ſollicitent. Prouoco inter alia, quod notatu dignum erit ad obſeruandam ſaepe in hoc morbo alui deiectionem nociuam, emeticis fortioribus ipſis frequentiſſime excitatam. Nonne hoc momentum ſenſilitati primarum viarum ita certe propter affectionem ſyſtematis neruoſi idiopathicam apparenti bene tribueres? Vt dolentes nerui contactum, ita hac ratione ſollicitati et iciopathice affecti nerui, omnia fugere mihi videntur, quae irritationi quid addunt. *Deinde* vero ad virium defectum, mox inde promanentem cauſae dictae ſequelam, reſpiciendum vtique erit. Vbi enim quaeſo ſine viribus criſes? *Tum* vero quae de ſede cauſae morbificae et de miaſmate ſaepe putrido ſtatuimus, ea omnia criſin difficillimam fore, ſuadent. Et fiat *tandem* comparatio; qua ratione ſe habeat neruorum ſyſtema in aliis febribus, qua vero in hac? Corpus petunt irritamenta febrilia, accedunt febrem afficiendo genus neruoſum ſympathica omnino ratione.

Tutor

Tutor quaſi praeeſt ſentiens ſyſtema ceteris functionibus, imprimiſque cordis et arteriarum, quippe quae febre tentantur praeprimis. Ab irritamento febrili ſympathice affectum ſyſtema neruorum motus violentos molitur, materiam morbificam inde vel mutare vel expellere ſtudet, vt coctio fiat vel ſalutaris euacuatio. Quomodo vero, ſi ſupra dicta vera eſſe ſtatuis, haec aut ſimilia in febre neruoſa exſpectabis? Repugnant cauſae, ſedes, idiopathica ſyſtematis neruoſi affectio, et, quae ſtatuimus, cetera. Motus tamen, inordinati inde excitantur, comparent ideo neruoſa ſymptomata inde ab initio morbi, nec ita mutatus humorum circulus, vti in aliis febrium ſpeciebus. Iam vero perpendas, quantum ſit, et quam latum neruorum in ſingulas functiones imperium? Quid igitur quaeſo magis vnquam fuit probabile, quam quod nerui ita affecti ſordes primarum viarum, orgasmum humorum, apparentem itaque phlogiſticam ſanguinis indolem, corruptionem dein humorum, aliaque multa producere valeant, quae huius illiusue febris ſpeciem, formam, fingunt, nil vero omnino vere ſiſtunt, niſi effectus ſyſtematis neruoſi, dicta ratione tentati? Ita certe cuiuis videbitur, quem vbi neruorum vitiis in ſtatu morboſo ſordes, orgasmum, aliaque effici obſeruantur, multa illa exempla non fugiunt. His vero remotis nullam obtineri poſſe ſalutem, nunc patet. Remouemus enim morbi mere ſymptomata atque effectus, minime vero cauſas. Immo vero potius irritationi

tioni neruorum noſtris remediis aliquid addimus, hinc in peius ruit aegritudo, quae quidem, quomodo ſananda ſit, ex ſcriptis medicorum plurimis erui poteſt; quomodo vero quoad cauſarum, quae ſanandae veniunt, rationem propriam, in ſyſtemate aegritudinum naturali illuſtrandam, definienda et conſtituenda forte ſit, tantum eruere hiſce ſtudui, quantum licuit per obſcuritatem rei ipſius, academici libelli limites, tenuitatem virium.

TANTVM.

Theſes.

Theſes.

I.

Febres malignae non propriam conſtituunt claſſem.

II.

Ad idioſyncraſiam uniuscuiusque hominis propriam in curandis morbis ſemper reſpiciendum eſt.

III.

Cruſtae inflammatoriae abſentia aut praeſentia neque venaeſectionem repetendam, neque omittendam, eſſe indicat.

IV.

Hypopyon diſcutientia non admittit, excipe, ſi chemoſis adeſt.

V.

Amputatio membri gangraenoſi inutilis eſt et nocet.

VI.

VI.

In vulnerum exploratione ſemper digitus inſtrumentis praeferendus eſt.

VII.

Tutius eſt, ad coërcendas haemorrhagias, ligatura uti, quam compreſſione.

VIII.

Pus non in toto ſyſtemate vaſorum, ſed in loco affecto ipſo, praeparatur.